



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii**

**Zurmöllen, Heinrich**

**Neuhusii, 1677**

Art. 5. De Censibus

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9734**

reriorum labore, & opera adhibita, tene-  
tur ad damnum compensandum.

4. Si is, qui domum vel rem aliquam, et-  
iam famulos alteri locato tradit, non stet  
conditionibus locationis, ex quarum de-  
fectu locatario damnum emergit: tenetur  
ad damnorum compensationem.)

Petes: si superveniat sterilitas agro,  
quem elocavi ad culturam, an tenebor Do-  
mino, qui mihi elocavit, ad integram solu-  
tionem pretij quo elocatus est. R. Si in  
contractu nil sit reservatum, ex vi contra-  
ctus teneri. Dicitur (*ex vi contractus*) ex  
lege enim charitatis etiam obligantis gra-  
viter, vel congruentiæ naturalis non cen-  
setur obligari.

## Articulus Quintus.

### *De Censibus.*

I. **C**ensus est jus percipiendi annuam  
pensionem, ex re aliena utili, vel ex  
persona alterius. Dicitur (*jus percipiendi  
annuam pensionem*) ipsa enim pensio non  
est census, sed ista pensio annua consistit in  
pecunia, aut in re aliqua mobili, ut tritico,  
avena,

avena, &c. Dicitur (*ex re aliena*) nemo enim sibi constituit censum in re propria, respectu enim rei propriæ dominium habet, & non tantum jus percipiendi pensionem. Dicitur (*ex re utili*) si enim res sit inutilis, jus fructus percipiendi fundare non potest. Dicitur (*vel ex persona alterius*) potest enim quis se obligare ad censum annum, super labore, opera, & industria propria.

2. Tribus vero modis licite potest dari pecunia in censum. 1. Emendo censum jam constitutum valore legali. 2. Constituendo novum censum super re fructifera aliena, virtute pecuniæ datæ, ut census constitutatur. 3. Dando personæ certam pecuniæ summam, sub onere quod ex sua industria annuam pensionem solvat, sic enim, mediante pecunia, census realis vel personalis constituitur virtute pecuniæ: ita ut fundamentum census non sit pecunia, sed ipsa res vel persona sive ejus labor & industria, pecunia autem se habeat per *modum* instrumentalis causæ, per quam jus illud percipiendi pensionem constituitur.

In

Injustitiæ autem sequentes in censibus reperiuntur. 1. Si pensio excedat fructum qui ex re speratur, vel juste sperari potest. 2. Si res super qua census est fundatus, nec in se, nec in aliquo conjuncto est fructifera. 3. Si re ex toto vel ex parte pereunte, tota pensio exigatur. 4. Si in contractu emptionis census, gravamina injusta apponantur. 5. Si census sive pensio minus ematur quam valet modo, vel brevi speratur valitura, quo casu sæpe opprimuntur pauperes, dum census suos ob temporum penuriam coguntur divitibus pro nihilo vendere.

## Articulus Sextus.

### *De Restitutione.*

1. **R**estitutio est actus justitiæ, quo redditur vel compensatur quod injuste ablatum ab alio, vel in re aliena damnificatum: ad talem vero restitutionis actum, tenetur omnis ille, qui rem alienam abstulit, accepit, scienter detinet, vel rebus proximi damnum intulit. Item: qui furto vel damno illato aut detentioni cooperatur, aut  
coope-